

De Gula, & Ira.

bitio, tempore ieiuniorum, cadit sub absoluto Ecclesie præcepto, pro toto tempore ieiunii; nec non præcepti negatiui uim habet, sicut præceptum de non furando. (non furtum facies) Vnde quemadmodum, quoties quis furatur, toties de nouo peccat ita & in proposito: sed multiplicare comestiones in die ieiunii, non est præceptum Ecclesie, nisi quatenus frangunt ieiunium, itaque, cum per vnã comestionem superflua, ieiunium frangatur, iam commissum est peccatum; ideo non est, cur oporteat amplius contineri.

82
*Dubium
an absoluti
ab obligatio
ne ieiunii,
possint com
edere car
nes.*

Quæritur secundo, an qui non tenetur ieiunare possit licite comedere carnes; nam, qua ratione absoluitur ab uno, intelligitur absolutus a reliquis, contentis in illo; ut accidit pueris, & senibus.

Respondetur in hoc est attendenda Ecclesie consuetudo, in dispensando, & intentio eiusdem se mouentis, ex causa ad dispensandum: nam cum in ieiunio illa tria requirantur, ut dictum est, sicut diuersæ sunt causæ dispensandis, ita non omnibus eodem modo est dispensandum: nam si dispensatur senibus, propter caloris defectum, iuuenibus ante vigesimum primum aonum, & quia multo indigent nutrimento, propter augmentum, laborantibus, & eo quod labores sustinere nequeunt, & similibus, ut non teneantur ad unitatem refectio- nis, in diebus ieiuniorum, non tamen absoluantur ab obseruantiã ciborum ueritorum; quia eorum necessitas non amplius indiget. Qui cauti dispensandi habent oleum sibi nocuum, sufficit, ut concedatur eis butyrum, oua, & lacticia tantum. Qui uerò, ita imbecilles, & impotentes sunt, ut nec illis sustentari possunt, taliter absoluantur ab obseruatione ieiunii, ut eis nihil referetur.

De Ira, Quinto Capitali peccato.

83
Definitio.

IRA est accensio sanguinis circa cor, propter appetitum uindictæ. Dicitur (accensio sanguinis) pro materiali. Dicitur (propter appetitum uindictæ) pro formali, & utroque modo potest esse bona, & mala nam, cum Ira sit quedam passio appetitus sensitui, a qua potentia irascibilis nominatur, dupliciter in ea malum inueniri potest, secundam quò d dupliciter, scilicet formaliter, & materialiter, sumitur; & ut formaliter sumitur, duplici ratione in ea malum inueniri potest, scilicet, uel secundum speciem, uel secundum quantitatem ipsius. Secundum speciem, quam sumit ab obiecto, potest esse bona, & mala, prout obiectum bonum, uel malum esse contingit. Ira respicit duo obiecta, scilicet uindictam, quam appetit, & hominem nocuum, de quo appetit uendicari: ut respicit uindictam dupliciter circa eam se habere potest, uel secundum rectam rationem, & tunc laudabilis est; natura enim posuit homini potentiam irascibilem, ut contra sibi nocua irascereetur: hinc est, ut dum homini inferatur iniuria, aut aliquod aliud nocuum sibi contrarium, naturaliter mouetur, per appetitum uindictæ, ad id repellendum, putat enim esse bonum, uindicari de malo, sibi illato: quod si fit cum debito rationis, scilicet secundum terminos Iustitiæ, modo conuenienti, & ad debitum finem, qui est conseruatio Iustitiæ, & culpæ correctio, non erit peccatum, hac enim differentia est: inter hominem, & animalia bruta: quòd ipsa dum irascuntur contra se offendentiã, procedunt instinctu nature, directæ a superiori intelligentia non errante, sed homo, cum ratione ducatur, ab ipsa dirigi debet: unde si talis appetitus circa uindictam inferendam,

Ira formaliter sumpta.

Ira respicit duo obiecta.

Ira quando non est peccatum.

Differentia inter hominem, & bruta circa iram sci.